Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30417
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

tes in Christo fructiferam vitae. Sed alii faciunt fructum. alii in sterilitate persi-
stunt. alii florent et germinant et botrum producunt dulcedinis. alii tan-
tum latitudinem foliorum expandunt, pulchritudinem cupientes habere tantum
viriditatis. Omnes autem qui in sterilitate persistunt, in quo pulchritudo
solum est sine fructu, abscidet eum et in ignem eum mittet et ardet. Sed
forte tuum animum pulsat quomodo qui Christo fide adhaeret a Christo separari
contingat, cum omnis qui adhaeret Christo spiritus sit cum ipso. Ut hoc tibi luce
clarius constet, scire te oportet quod fides distinguitur per diversas proprie-
tates. Dicitur enim fides mortua, fides ficta, fides perversa, fides recta. Omnes
enim homines in eo quod christiani vocantur Christo adhaerere dicuntur, in eo quod christia-
ni sunt et fidem habere dicuntur et credunt. Sed quorundam fides est ficta, quorundam
perversa, quorundam chatholica. In prima superbi, luxuriosi, cupidi, praecavere,
fures et latrones et alii huiusmodi. In secunda sunt non obedientes spiritualibus
patribus, ingrati de bonis caelestibus, qui sunt sine affectione superna, sine
pace caritativa, fratrum criminatores, irae incontinentes, voluptatum
amatores magis quam dei, habentes speciem pietatis, sed virtutem eius abneg-
antes. In tertia fide sunt haeretici contra deum elati, de suis erroribus et
superbi, in deum blasphemi, per omnia paganis et sedis deteriores et scelera-
tiores. Omnes isti peribunt, quia resistunt veritati, mente corrupti, re-
probi circa fidem. Procul dubio omnes isti peribunt nisi in melius commutentur. Ar-
suri sunt perpetuo igne. Omnes enim isti conculcant dominum Ihesum Christum et
sanguinem tam dulcissimum dicunt pollutum. In fide autem catholica qui sunt
mites, patientes, mansueti, humiles, virgines, casti, continentes,
obedientes, dilectores dei et proximi, ad omne opus bonum parati, exspec-
tantes receptionem filiorum dei. Et me in horum numero et vos dominus computare
dignetur. Valde dilectissimi timere debemus hoc quod dominus dicit: Omnem
palmitem in me non ferentem fructum tollet eum. Non confidamus tantum

Fides: mortua, ficta, perversa, catholica